PRO RESTITUTA VALETUDINE

BENEDICTO XIV.

P. O. M.

A R C A D U M

C A R M I N A.

BIBL. SOC. IESU COLL. ROM.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



ROMÆ MDCCLVII.

Ex Typographia De Rubeis apud Pantheon.

Superiorum Facultate.

Bibliotheca Secreta Collegii Romani

Google

Eminentiſſimo & Reverendiſſimo
PRINCIPI
HIERONYMO
COLUMNÆ
S. R. E. CARDINALI CAMERARIO
Sacroſanctæ Baſilicæ Liberianæ
Archipresbytero, Apoſtolici
Palatii Pro-Præfecto.

MICHAEL JOSEPH MOREI
ARCADIÆ CUSTOS.

Quam miſeram, & luctuoſam, cum de valetudine Optimi Principis pene deſpera-

Digitized by Google

ret , vidimus Civitatem , eam , quod DEI immortalis beneficio periculum evaſerit , maxima lætitia exultantem , ac geſtientem aſpeximus . Inter tot Urbis , atque univerſi Orbis Terrarum gratulationes , quæ doctiorum hominum ingenia ad hanc collatam divinitus felicitatem collaudandam , ac prædicandam excitarunt , præcipui certè fuerunt plauſus noſtrum Arcadum , qui Principem Sapientiſſimum quinquaginta abhinc annis inter nos adlegimus , cujus ſane benevolentiam , ac beneficentiam tantopere experti ſumus . Carmina hac de re in unum collecta , me potiſſimum auctore , nunc in lucem prodeunt , Tibique jure dicata ſunt , qui merito Pontificis Sanctiſſimi favore uteris , & qui de ea , quam in tuenda ejuſdem vale-

le-

Digitized by Google

letudine habuiſti parte, incredibilem apud univerſos gratiam inivisti. Illa vero ut benigne excipias, Tua ipſa faciet, digna prorſus clariſſima tua Familia humanitas ſingularis; quam ego iſta dignitatum amplitudine, qua potiris, praſtantiorem exiſtimo. Vale.

IM-

Digitized by Google

IMPRIMATUR,

Si videbitur Rmo P. Mag. Sac. Palatii Apoſtolici.

F. M. De Rubeis Patr. Conſt. Viceſg.

IMPRIMATUR.

Fr. Vincentius Elena Rmi P. Mag. Sac. Pal. Ap. Socius, Ord. Præd.

Digitized by Google

EPIGRAMMA
ARCHÆI ALPHÆJANI.

IBo iterum, dixit, Terras Aſtræa relinquens,
Ætheræaſque petam non reditura plagas;

Ibo: quid hic ſtandum, ſi Tu BENEDICTE recedis?
Qui tutamen eras, qui decus omne meum.

Non tulit has voces, non iſtas Roma querelas;
Divinum & ſupplex adſtitit ante Thronum;

Proque tua tot mœſta preces, tot vota ſalute
Fudit, ut audierit vota, preceſque Deus.

Vivis, Io! Princeps; Aſtræa has incolit ædes;
Atque hæret lateri, non abitura, tuo.

Digitized by Google

EPIGRAMMA
BRENNALII RÆTHÆI.

O Pavor! o Numen, cui altaria, templaque ſtruxit
Romanæ gentis cæca ſuperſtitio!

Thura dabant, patriis ut longe a finibus irent,
Inque hoſtes caderent damna timenda ſuos.

Alma Fides aras fregit, juſſitque Pavori
Crimina peccantum plectere ſupplicio.

Sed peccatur adhuc; peccandi inſania gliſcit.
O Pavor, ultrici ſtringe flagella manu.

Sparge animis ſancti vitæ diſcrimina Patris;
Occurratque oculis triſtis imago rogi.

Succedent queſtus, ſuſpiria crebra precantum,
Ante aras Populus corruet exanimis.

Ah ceſſa graviore metu torquere nocentes:
Jam luimus pœnas; ſit timuiſſe ſatis.

ODE

O D E

ARETÆ EPIDAURII.

POſt rupta crebro nubila fulgure,
Cæli fragoſas horrida poſt minas
Bacchata tempeſtas ab Euro,
Non trifido tamen igne ſemper
Sævit per urbes; ſidere protulit
Sæpe at reducto innoxia purius
Lumen per auras, & reſolvit
Lætitia tremefacta corda.
Quam pene ſumma ſenſimus obrui
Preſſi ruina nuper! ut aſpero
Convulſa fato Roma triſtes
Horrueras meditata luctus,
Dum clauſtra vitam lapſus in intima
Tentaret ægri Principis impotens
Morbus, laboranteſque major
Pæonias ſuperaret artes!
Quot vita in una tum bona ſubtrahi
Tibi videbas! Diceris urbium
Beata, feliceſque Cives
Ubere pulchra ſinu fovere,
Quin gentibus tu viſeris exteris
Auguſta celſo templa cacumine
Tollens, reciſis & columnis
Orbe alio, pariiſque late
Signis renidens nuſquam alibi datas
Superba præfers omnigenas opes,
Quas priſca volventes per annos,
Quaſque recens cumulavit ætas;
Hæc ſortis inter munera tu tamen
Sublimis uno te Domino evehis,
Cui læta pares; inde lumen,
Inde tuis decus omne rebus.

 Hoc

Digitized by Google

Hoc fonte diæ vim Sapientiæ
Hauris, & oras fundis in ultimas,
Quam prima terrarum receptas,
Altior ut, propiorque cælo.
Hunc ut Parentem gentibus, ut Deum *
Proponis; olli Juſtitia, & caput
Obducta cum Virtutum honora
Aſſidet alma Fides caterva,
Doctrina longo ſe famulam adjicit
Cui rite blandita obſequio, & ſua,
Quæcumque theſauris recondit,
Congerit huc potiora dona.
Illam ergo diro funere dum lues
Infeſta vitam jam prope mergeret,
Atras verebaris tenebras,
Roma, tibi, horribilemque noctem,
Ut Sole adempto. Protinus excita
Dolore templis omnibus undique
Amens oberras, & per omnes
Fuſa diu lacrymaris aras.
Tum quippe noras, quam tua proſpero
Voluta curſu tempora fluxerint
Annis bis octonis, tuæque
Sortis eras memor, in ſupremo
Cum te ſitam diſcrimine cerneres;
Metus carendi nam pretium bonis
Inſtaurat, & pondus, quod ante
Imminuit diuturnus uſus;
Secura nec mens aſſiduo poteſt
Senſu faventis, dum ſtabilis manet,
Sortis moveri; cum recedit,
Admonet ipſa ſui, excitatque.

Jam

* *Pontifex O.M. aſſimilatur Deo; ejus enim vices in terris gerit, & poteſtate fungitur, eique Muneris ſui cum ſanctitate, tum auctoritate unus Mortalium omnium accedit maxime.*

Jam tu revolvens cuncta, peregerit
Quæcumque rerum, quem cumulum illius
Laudum intueris! tot ſed inter
Optima, victa quidem videntur
Priora ſemper poſterioribus,
Et geſta demum excellere cæteris
Poſtrema geſtis; plus laceſſunt
Attonitam propiora mentem
Nimirum, & actis edita grandibus
Rumore major Fama viget novo.
Exinde deducens ab annis
Tempora præteritis futura
Spondere certo quid mage ſplendidum
Non uſque poſſis augurio tibi,
Mirumque, divinumque, ſiqua
Fata queant inimica rumpi.
Audimur. Orbem provida Mens agit,
Noſtraſque, quanquam nullius indiga,
Res curat; extremos dolores
Non libuit, niſi comminari.
Rurſus, Quirites, templa recludite;
Quæ nuncupaſtis vota, faventibus
Reddenda Divis. Auſpicato
Circuitu redeuntis anni
Lætam recuſis inſerite hanc diem
Faſtis, & alter per numeros eat
Tenor, renaſcentiſque longus
Imperii repetatur ordo.
En languor ægro corpore ſolvitur,
Vires per artus en redeunt; Pater
Differtur aſtris, quo relictis
Corporis exuviis, & ima
Tellure, anhelo ferri animi impetu
Ardebat, in ſedem ut ſibi debitam,
Et lætus æterna caducum
Hoſpitium Patria parabat

Digitized by Google

Mutare. Noſtris non lacrymis tamen
Immotus hæſit; tum ſibi ſat diu
   Vixiſſe quanquam viſus, Orbi
      Vivere non renuit, laboremque
Inire notum rurſus, & arduam
Verſare molem, quo faceret diu
   Fidem per omnes, quæ coluntur
      Cumque, plagas, populos per omnes,
Regnare Mundo Numen, & illius
Regni nec ortus eſſe, nec exitus,
   Et jura nec noſtro, doceret,
      Arbitrio rata, nec movenda,
Fractiſque tandem ſeditionibus
Sanciret almam mentibus anxiis
   Pacem, reluctanteſque, Veri
      Lampade propoſita, ſub una
Repente gentes ſigna reduceret,
Et vi ſine ulla flecteret, & ſua
   Gauderet hinc reſponſa ab omni
      Certa peti regione ſemper,
Et ſemper exempla inclita Regibus
Peti vel ipſis, grandibus omina
   Et dextra cœptis, dum ſuperni
      Imperii moderantem habenas
Colunt, verentur, laudibus efferunt:
His regna late ſubdita concinunt
   Plauſu ſecundo. Fama nullis
      Perſonat interitura ſæclis.

ECLO-

Digitized by Google

ECLOGA

DASMONIS ANDRIACI.

Daſmon, & Melibœus.

Daſ. DA calamum, Melibœe, novus me concutit ardor.
Neſcio quid magnū mens irrequieta ſpopondit;
Ibo, Quirinali penetrabo interritus Aulæ
Limina, nec vultu me Helvetica turba ſevero
Arcebit procul, adſcendam, ingrediarque cubile,
Paſtor ubi ſummus, noſtris venerabile nomen
Eganus in ſylvis, morbo recreatus acerbo,
Incolumis fruitur renovatæ munera vitæ.
Mel. Inſanis, Daſmon; num tu, viliſſime Paſtor,
Inter tot vigiles famulos, aulæque miniſtros,
Inter tot Proceres, inter tot grandia, credis,
Nomina, adoratis dare ſupplex oſcula plantis,
Atque impreſſa notis cœleſtibus ora tueri
Pontificis? mihi dic, quid ſummo a Principe poſcis?
Quidve petis? mihi fare: cupis ſi promere verſus,
Falleris, ah! Daſmon, non hoc vult carmina tempus.
Funde preces, ſacras conſpargito floribus aras,
Munera fer Superis, & Numina ſancta precare,
Eganus, ut longos feliciter impleat annos,
Reddaturque ſuæ, domito languore, ſaluti.
Daſ. O caput egregium! an neſcis, Melibæe, Quiritûm
Tota quod Urbs, quod tota ſimul vicinia novit?
Eganus ... (ex oculis lacrymas amor exprimit) ille
Eganus, Arcadiæ decus, & ſpes maxima Romæ,
Dulcis amor populorum, & Divûm maxima cura,
Eganus ... (ah quoties Superos in vota vocavi,
Olli ut præſtarent longevæ munera vitæ)
Convaluit ſoſpes, victa jam morte: ſerenum
Cerne, ut purpureo ridet modo lumine Cœlum;

Digitized by Google

Cerne, ut jam nitidi redeunt poſt nubila Soles;
Meſtitiæ nox atra fugit, ſimul anxius angor,
Singultus, lacrimæ, populorum vota gementûm,
Et quæ ſuſpenſos animos, & corda Quiritûm
Detinuere diu, tandem ſuſpiria ceſſant.
Urbs effuſa ruit, plauſuque inſueta reſultat,
Æra canora ſonant, reboant tormenta, frequenſque
Clamat, io! populus, reſonant fora, compita, & arces,
Omnia letitiæ dant ſigna, atque omnia plaudunt,
Feſtiſque ingeminant clamoribus, Egane, vivas,
Et Romæ, & Fidei, repetunt ſimul, Egane, vivas.
Inter tot plauſus, inter tot gaudia, & ipſe
Ibo audax, verſuſque canam, fortaſſis in aures
Primus ego ſacras effundam carmina, non me,
Crede, ſupercilio adſpernabitur Eganus atro,
Regalique procul me non arcebit ab aula.
Primus ego illius, Paſtorum nomine, dicam
Et merita, & laudes, mox quæ præſagia Cœlum
Promittat, fauſto nec inani carmine, pandam.
Primus ego non magna feram illi incommoda, nil &
Pro me depoſcens, ſupplex id ſcilicet unum,
Ut ſoſpes nobis vivat, valeatque, precabor.
Mel. Vera mones, Daſmon, licet ire. En protinus ipſe
Pone ſequar; laterique adſtem, niſi forte recuſes.
Daſ. Quin placet: ambo igitur, quæ tunc dixiſſe juvabit,
Carmina nobiſcum tacita modulemur avena.
Mel. Incipe, te vatem celebrat Nonacria tellus.
Daſ. Plaudite, Pierides, date carmina, promite laudes.
Paſtorem noſtris ſervarunt Numina Sylvis.
Fallor? an extollit fulva Tyberinus ab urna
Floriferum caput, & lacrymantia lumina tergens,
Plaudite, io! clamat? non fallor Tybris ab amne
Fronde coronatus ſua tempora, munera libat
Ante aras, cumulatque ſacris altaria donis,
Perſolvit ſua vota Deo, pro ſoſpite magno
Egano, & Aonias revocans ad carmina Muſas,

Ma-

Digitized by Google

Majori celebrare ſono facta incipit almi
Paſtoris, nomen late immortale, decuſque,
Invictumq; animum, innocuos ſine crimine mores,
Sublime ingeniū,& mentem ſimul undiq; plenam,
Divitiis Sophiæ, Themidiſque, & Palladis arte.
Tùm recinit lætos auguſtæ frontis honores,
Munificaſque manus,facilemq; ad præmia dextram,
Pectus & heroum magna virtute refertum,
Et Latia quondam quæ munia obivit iu aula,
Quoſque tulit vera pro Relligione labores,
Ac tot doctrinis conſperſa volumina ſacris,
Tradita tot Fidei, tot prompta oracula morum,
Queis populos, & regna docet, feroſque Nepotes
Eganus inſtituet, longumque docebit in ævum,
Orbis perpetuus prima de Sede Magiſter.
Hæc canit Arcadica Tybris plaudente corona.
Mel. Plaudite, Pierides, date carmina, promite laudes,
Paſtorem noſtris ſervabunt Numina Sylvis.
Fallor? an alma Salus Idaei e vertice montis
Dictamnum, manibuſque gerens medicamina vitæ,
En adſum, clamat? non fallor: promptior omni
Spe properat noſtra, & votis velocior adſtat,
Pulchra Salus, Latii finem impoſitura labori.
Verſantem cernit mortis prope limina ſummum
Eganum,& illacrymat;propere tumq; elicit hauſtus
Vitales, ſpargenſque novum per membra vigorem,
Eripit illius Parcarum e forcipe vitam.
Soſpes io! fatur feſto tum carmine, ſoſpes,
Qui Latium regit imperio, qui moribus ornat,
Diviniſque implet totum virtutibus Orbem.
Per me ſoſpes, io! vivat, valeatque beatus
Eganus: ipſa olli faciam ſine nube ſerenos
Ire dies, annoſque, & luſtra, & ſecla; diuque
Virtutem ipſa addam, ut maneant in corpore vires,
Dira Quirinali & procul exulet omnis ab aula
Morborum ingluvies; auſis ingentibus illum

Digitized by Google

Di ſervant, nec vana fides, mihi credite magnus
Eganus Euboici tranſcendet pulveris annos,
Et Phrygiam vivet felix, vincetque ſenectam.
Vos, Superi, teſtes, vos conſcia Numina Cæli.
Hæc ait,& fremit Arcadicum nemus omne tumultu.
Daſ. Sat, Melibæe, tuis tacitæ ſiluere volucres
Cantibus, omnis ager ſiluit; nos ibimus, ambo
Dicemus carmen conceptum mente, benigne
Eganus excipiet; ſuus hic mos: ibimus ambo,
Illius ante pedes forſan majora canemus.

HEN-

Digitized by Google

HENDECASILLABI

RIVISCI SMYRNENSIS.

VIdi Parrhaſias repente Lauros
Hinc, & frondibus inde deſtitutas,
Cum Lecto graviter jaceret æger
Mundi Spes * EGANUS, decuſque noſtrum.
Mox ut convaluit, repente rurſus
Vidi Parrhaſias virere Lauros.

ODE

* EGANI *Nomine in Arcadum albo ab annis amplius Quinquaginta intelligitur* PROSPER LAMBERTINUS, *nunc* BENEDICTUS XIV. *P. O. M.*

Digitized by Google

ODE

EURIDALCI CORINTHÆI.

MAnes, quos tacitum Nemus,
Heroum hoſpitium, dividit Inferis,

Nigram pellere gurgite
Puppem dum Stygio cernitis Atropon,

Pindi Virginibus datum
Conclamate EGANUM: Dira potens Stygis

Carptum per juga Colchidos
Succum non alacris ſic timet Eſonis,

Ut cantus Heliconidum
Lymphataſque animas Pegaſeo lacu.

ELE.

Digitized by Google

ELEGIA
MYRÆI ROPHEATICI.

VIcit io! vicit virtutum turba tuarum;
Vicerunt Populi vota, preceſque tui.
Soſpes io: BENEDICTE, metu nos eximis omni,
Romaque ſupplicibus temperat à lacrymis.
Roma triumphali rurſus te cinge corona;
Erige & auguſtum rurſus ad Aſtra caput.
Convaluit Princeps; patuit clementia Divûm;
Cara quidem es Superis, caraque Roma Deo.
Exquiliæ te Roma vocant; ibi prona potenti
Grates funde Deo; grataque funde preces.
VIRGO PARENS; Populus quid non tibi debeat iſte,
Qui Tibi, qui NATO dat pia thura tuo?
Proſpexit noſtræ NATUS tuus ille ſaluti;
Reddita nam noſtro in Principe noſtra ſalus.
VIRGO PARENS; Tu ſola malis occurrere tantis,
Divinaſque iras flectere ſola potes.
Ipſa potes longum Princeps ut vivat in ævum;
Ipſa potes vires ut reparetque ſuas.
Jam reparet vires, jam mundi tractet habenas,
Dignus enim valida, quem tuearis ope.
Ille quidem Tibi cultum auxit; Tibi thura frequenter,
Votaque fert aras cernnus ante tuas.
Adde, hoc marmoribus quod totum ſplendet, & auro
Templum ingens Tibi, quod ſurgit in Exquiliis.
Hoc totum ſquallens, totum hoc jam pæne fatiſcens,
Munifica ornavit, reſtituitque manu.
Adde quod & Pietas illum commendat, & illum
Commendat morum candida ſimplicitas.

Digitized by Google

Quid quod inexauſta dum mente, & pectore dives
Eloquio pollet, pollet & ingenio.
Dogmata per totum ſpargit feliciter orbem,
Et monitis plaudunt maxima Regna ſuis?
Ah precor, ah noſtras audi, bona Virgo, querelas:
Noſtra nec ut jaceant irrita vota ſinas.
Effice det firmam Natus tuus ille ſenectam,
Vitaque ne properè tam pretioſa cadat.
Reſtat adhuc reſtat pacatum ſcilicet Orbem,
Ut videat ſacra ſanctus ab Urbe Senex.
Chriſtiadum reſtat membra ut disjuncta ſuum jam
Conjuncta agnoſcant, demereantque Caput.
Eveniet; cunctas Benedicti grande per oras,
Grande per ætatum ſæcula Nomen erit.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA
RAMBILDI HIPPOCRENII.

TErgemini magnas Regni qui nuper habenas
Linquebas moriens deficiente manu,

Ut valeas, Benedicte, iterum, non multa medentum
Ars, populi faciunt ſed pia vota tui.

Nec Tu quod vivis tam gaudes, optime Princeps,
Quam tibi quod vitam ſervat amor Populi.

JAM-

Digitized by Google

JAMBI
VIMINII DELPHENSIS.

HUjuſce Cives Urbis omnium Ordinum,
Quicunque ſummi pro ſalute Principis
Et nuncupaſtis vota, & uſque ſupplices
Divorum ad Aras curſitaſtis anxie,
Hoc alma cunctos admonet vos Fauſtitas,
Gaudere primùm, deinde vota ſolvere
Quæcunque Summi pro ſalute Principis
Divorum ad aras nuncupaſtis anxii;
Nam vota nuncupata, fervidæ & preces
Veſtræ benigna permovere Numina,
Ut priſtinam optimo ſalutem Principi
Firmamque, ſecuramque plene redderent,
Vobiſque ſalvum, ſoſpitemque ſiſterent.
Hunc ergo læti Divûm ad aras ſolvite
Quæ vota ibidem nuncupaſtis anxii:
Quo Numina illum ſancta communi bono,
Reique Chriſti publicæ ſervent diu;
Juvetque vos beata ſemper Fauſtitas.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA

ISELII SATURNII.

JUribus Imperii feſto dum Gallia plauſu
Jura Sacerdotii fœdere juncta videt;
Roma dolet ſancto jamjam viduanda Parente,
Nequicquam revocans jam fugientem animam.
Nec tamen, (idque vetant longa intervalla), remoti
Conſcia Roma boni eſt, Gallia neve mali.
Urbem ergo advenient optatæ Nuncia pacis,
Dudum expectanti dulce datura Seni
Gaudium; at uſque recens cernent in limine funus,
Et vacuam hærebunt Principis ante domum?
Romani hanc gignit pacem Sapientia Patris,
Hanc Pietas nullo fracta labore parit;
Tantaque furaci conceſſa licentia morti eſt,
Ut pereat gnatæ neſcius Ipſe ſuæ?
Parcite Cælicolæ, pretioſæ parcite vitæ;
Ad lacrymas mites eſſe decet Superos.
Sic eſt: vivet adhuc longum BENEDICTUS in ævum,
Dum Pax nata recens ſtet pede firma ſuo.

Digitized by Google

ELEGIA

PERELA'I MEGARIDIS.

NUper in extremo verſantem limine lethi
  Cum vidit, Princeps, te tua Roma, metu
Palluit, & ſubito pectus concuſſa dolore
  Ad cœlum palmas, uvidulaſque genas
Tollens, o ſuperum, dixit, Rex, o bona Virgo,
  Quam toties gelidis viſit in Eſquiliis,
Cui vetus a templo ſenium deterſit, & auro
  Fulgenti, & pario cuncta novans lapide,
O Superi, quorum meritos provexit honores
  Scriptiſque, & cura pervigil aſſidua,
Cultori lethum veſtro prohibete: nefandum hoc
  Mi potius, miſeræ mi prohibete malum.
Ille petet cœlum victor, lætuſque capeſſet
  Quam ſibi jam meritis ſtravit ad aſtra viam.
Me duri miſeram caſus, me longa ſequentur
  Damna Patris cari flebile diſſidium
Plorantem, & crebris ſingultibus incendentem
  Omnia: nec memori longa dies animo,
Nec rerum ulla queat ſpecies objecta novarum
  Eximere hanc imo e pectore amaritiem,
Quin repetam laudum tot clara exempla ſuarum,
  Illaque munificæ tot benefacta manus,
Et plenum ſophia pectus, ſuadæque leporem
  Ambroſium, & flumen divitis eloquii,
Quo docet, humanas mira dulcedine mentes,
  Quo capit, & captas victor agit properè
Pulcram ad virtutem: dignus cui vera monenti
  Submittant animos extera regna ſuos,
Quem populi, regeſque colant, quem laudet, ametque
  Certatim hæc ætas, dein alia, atque alia:

Quem

Quem ſi dura mihi rapiat mors (ah Pater atrum
  Vaneſcat ventos omen in aerios)
Uſque vocem, lucemque meo, noctemque dolori
  Indulgens largis uſque fleam lacrimis.
Hæc tua, depoſitum ceu cum flet mœſta parentem
  Filia, ſquallentes Roma ſoluta comas
Flevit. Nunc eadem lætanti pectore geſtit,
  Nec cohibet tacito gaudia clauſa ſinu:
Feſta ſed ornatis indicit plurima templis,
  Ingerit & ſanctis thurea dona focis:
Atque bonis tanto grates pro munere Divis
  Solvit: templa piis cantibus alta ſonant.
Qualis cum nimbum capiti ſuper impendentem
  Deprenſus magno vector in Oceano
Cernit: ventorum ſurgentia flamina pontum
  Horrificant: olli corda pavor gelidus
Inceſſit: tremuere artus, exanguia pallor
  Occupat ora, undis naufragus in mediis
Turpes ne paſcat fluitanti corpore phocas.
  Idem ſi clari continuo Boreæ
Arida vis nubem ſolvit, fluctumque tumentem
  Stravit, jucundæ gaudia lætitiæ
Concipit, abſcedunt Curæ, Pallorque, Pavorque
  Merſa natant placido, turpia monſtra, mari.

Digitized by Google

EPIGRAMMA
PHILLIRII BERYTII.

DUm ſummus cælum Paſtor, ſedeſque beatas
Cerneret, & terris diceret ore vale;

Dilecti pia vota gregis fera fata dolentis
Audiit, & gemitus, queis loca cuncta ſonant;

Cumque æterna trahant promiſſi hinc præmia cæli,
Et gregis hinc tangat pectora dulcis amor;

Cuncta diu ſecum ſuſpenſo corde volutat,
Afflictique gregis denique vincit amor.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA

ACAMANTIS PALLANTII.

VIcit io, Princeps, Superos vox una precantia
 Chriſtiadum populi; vicit & Urbis amor!

Cuncta rapi ſibi novit, ſi Te perderet unum;
 Omnia ſervari, cum Tibi facta ſalus.

Incrementa Fides quæ Te divina docente
 Eloquio, & calamo ſenſit, & obſtupuit:

Proſpexit majora ſibi, dum corde parares;
 Nec ſolium anxia Te linquere paſſa ſuum.

Maxima geſſiſti, Princeps, ſed plura ſuperſunt;
 Quæ Tibi: non alii ſolvere fata dabunt.

Digitized by Google

ELEGIA
GLAUCILDI CYRNENSIS.

ABſtinuit mors atra manus. Compone capillos,
  Et ſume argutas, candida Muſa, fides.
Carmina dicantur primum feſtiva Tonanti,
  Omnia nam ſummo a Numine proveniunt.
Sed poſtquam ſuprema tibi celebrata poteſtas,
  Et fuerint mediis thura cremata focis,
Muneribuſque ſacras circum cumulaveris aras,
  Ne careat meritis Gallia carminibus.
Ipſa etenim noſtros ob quam miſereſcere luctus
  Viſa mihi æterni Numinis ante pedes.
Nec Fallor. Novi regalia protinus ora,
  Et cincta auguſtis aurea ſerta comis
Novi regales cultus, atque aurea paſſim
  Sparſa triumphalem lilia per chlamydem.
Et qui circum aderant novi, Rhodanumque, Ararimque,
  Quique fluit placidis Sequana dives aquis.
Limina quin etiam novi, cur alta petiſſet,
  Novi, cur tantas mitteret ore preces.
Forte ibat partæ nuper pro munere pacis
  Gallia Romano ſolvere vota Patri,
Jamque inter plauſuſque virum, ſonituſque tubarum,
  Atria queis circum, ſacraque templa ſonant,
Impatiens animi feſtas properabat ad aras
  Oratura Deum ſæcula longa ſeni:
Ante oculos cum ſæva ſuos mors arripit arcus,
  Et, ſeu dira premat pectora cædis amor,
Sive illam tacitis agitet diſcordia flammis,
  Vertit in innocuum tela cruenta caput.
Mox fugit ore color: jam primæ in corpore vires
  Defecere: oculos jam ſopor altus habet.

Et-

Digitized by Google

Et ſi quid vigilat, quatit æger anhelitus artus,
Atque negant ſolitum membra miniſterium.
Longinquis nec vecta juvant medicamina ab oris,
Nec prodeſt medicas applicuiſſe manus.
Purpureum aſpiceres mutum hinc adſtare Senatum,
Cujus ſollicito pallor in ore ſedet.
Hinc teneros fruſtra ſuſpiria longa Nepotes
Ducere, & immeritos plangere ſæpe ſinus.
Nec non ex oculis tibi plurima gutta decoris
Defluit in mæſtas, Magne Columna, genas.
Magne Columna tuæ clariſſima gloria gentis,
Dulce decus Patriæ, Principis unus amor.
Quid moror? aſſiduis reſonat ploratibus æther,
Præſentemque notant omnia ſigna necem
Gallia quid faciet? ſupplex procumbit ad aras
Huc illuc ſparſis colla per alba comis,
Imploranſque fidem ſummi gemebunda Tonantis
Afflicto tales rupit ab ore ſonos.
Siccine, Summe Pater, prævertis vota precantum?
Et ſinis hunc oculos ante perire meos?
Siqua mei tibi nunc pietas, illum eripe fato,
Nec turbet tantus gaudia noſtra dolor.
Aſpice, ut infernis jam ſeſe condidit antris
Funereas quatiens Dira Megera faces.
Et laceras Lis ſciſſa comas certamine gaudens,
Et mentita fides, & dolus, & mala mens
Finibus ut pulſæ patriis, regnoque fugatæ;
Atque per hunc nitidi jam rediere dies.
Et nunc tam caræ diſcindere ſtamina vitæ
Audebit nigris invida mors manibus?
Sat timui: ſat dura tuli: fera vulnera Mortis
Contine, & imperiis fata morare tuis.
Quod ſi nulla precum tangit te cura mearum,
Te meriti tangat debita cura ſui.
Ille dedit pacem, parta nunc pace fruatur,
Et ſecum tanto gaudeat ille bono.

Digitized by Google

Num poſt exactos hæc præmia digna labores
  Funeris extremum mox obiiſſe diem ?
Atque erit hæc tantæ virtuti debita merces ,
  Ut ſuper hunc hoſtis rideat exanimem ?
Sed quis nunc referat , quæ Gallia mæſta Tonanti
  Dixerit , & quales fuderit ore preces ?
Surda ſuis potuit remorari fata querelis :
  Immitem potuit continuiſſe necem .
O digna æterno cunctorum Gallia cantu ,
  Gallia ſupremum flectere & apta Deum .
Plaude Io mea Muſa , novos age læta triumphos ,
  Et feſtiva tuæ carmina junge lyræ ,
Sed ſuper arguto reſonet tibi Gallia plectro ,
  Inque tuis reſonet Gallia carminibus.

EPI-

EPIGRAMMA

LORISII THAUMASTÆI.

* Lux optata redi, noſtræ lux prima ſalutis;
Lux inter ſacras ſemper habenda dies.

Lux optata redi, celerent te ſydera, & ægro
Pontifici redeat, te redeunte, ſalus.

Ut properes votis Roma en cælum omne fatigat,
Et gemino Laudes jam tibi fonte parat;

Scilicet Auctorem vitæ jam læta dediſti,
Nunc illi Patrem reddis, & incolumem.

Romæ vive diu, Pater o Sanctiſſime, cunctis
Vive diu terris, & tibi vive diu.

Totque inter facilis veræ præconia laudis
Accipe, Communis quæ tibi poſcit amor.

EPI-

* *Prope Feſtam D.N.Jeſu Chriſti Natalitiam diem convaluit Summus Pontifex.*

EPIGRAMMA
AMILDI CILLENEI.

ANnuit en votis Cælum, & Mors pallida liquit
Indignata tuos, EGANE magne, lares.

Jam tibi Virtutes ſociæ, jam Roma triumphat,
Mæſtitiæ haud ultra territa imaginibus.

Te quid enim in terris majus? Te ſoſpite, ſoſpes
Et Pater, & Princeps, Civis, Amicus adeſt.

ODE

O D E

GORGIÆ GERESTÆI.

SOllicitas animo curas, mœſtumque, Quirites,
Licet timorem ponere;

Et feſtos agitare dies, & munera templis
Votiva ferre lætius.

Quandoquidem noſtris tandem Rex magnus Olimpi
Aurem applicavit fletibus,

Et qua nil homini vere eſt optatius, ipſa
Ad Principem noſtrum Salus

Ætheriis ſic juſſa Choris deſcendit, & ægri
Arctus levavit Corporis,

Sparſit & ambroſiæ ſuccis felicibus Ulcus,
Dixitque: Sis ſalvus diu

O Pater, o Cuſtos Urbis, qua pulchrior unquam
Jam nulla, nulla ſanctior

Extulit in terris clarum caput, & tua ſecum
Virtus niteſcat inclyta:

Exultentque diu Cives Te ſoſpite longum
Sacri Senatus Principe

Exultent ſocii Reges, populique recepta
Tuæ ſalutis nuncio.

Quem ſacra Divino è ſolio reſponſa ferentem
Exaudiunt jam attentiùs.

Digitized by Google

At decus Imperii majeſtatemque verendam
 Pacemque ſiquis auream

Hactenus aſpexit placide minus, is quoque quantum
 Latina res, & gloria

Itala jacturam feciſſet lumine tali
 Orbata, ſecum cogitet.

Vix hæc; quum ſubito morienti corpore languor
 Fugatus avertit pedem,

Atque novum vires iterum ſumſere vigorem,
 Revixit & lux occidens.

Non aliter vigil infuſa quam pallade ſe ſe
 Quum flamma rurſum ſuſcitat

Et procul invita depellit nocte tenebras
 Fulgore lucis vivido.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA

MIRTII GARGILIANI.

ALma Parens ſalve, cui Maximus Arbiter Orbis
Afflictis Hominum rebus adeſſe dedit.

Tu certè noſtros Clemens miſerata dolores
Dum ſummum urgerent ultima Fata Patrem.

Salve iterum Virgo; Tibi ſi pro munere tanto
Conceſſum haud grates reddere poſſe pares:

Semper honos, Nomenque Tuum, laudeſque canentur;
Urenturque ſacris Thura ſabæa focis.

Digitized by Google

ELEGIA

LOCRESII TEGÆI

Ad Petrum Paulum Molinellum Bononienſem.

PLaudite dilecti nunc denique plaudite Cives:
  En bonus a domina nuncius Urbe venit.
Parcite jam lacrymis, triſtes deponite curas,
  Et pia ſollicito ſolvite corda metu;
Vivit enim, noſtriſque diu Spes maxima votis
  Vivet in auguſti numine Pontificis.
Vos grati Cœlo pueri, innuptæque puellæ,
  Queis nitet ingenuo caſtus in ore decor,
Nunc prece cum multa ſacris altaria donis,
  Feſtaque odoratis ſpargite templa roſis.
Et vos quotquot alit præclaros Felsina vates
  Certatim lætis plaudite carminibus.
Artis Apollineæ magnum celebrate triumphum,
  Non quæ Pieriis dulce ſonat numeris,
Ac bene compoſitos tollens ad ſidera cantus
  Servat in æternos nomen inane dies;
Sed quæ naturæ leges, medicaſque requirit,
  Quas mare, quas tellus provida gignit, opes;
Quæ genus humanum gemina virtute tuetur
  Pellere tum morbos, tum prohibere potens.
Te vero ante alios, tanta qui excellis in arte
  Nobilis ingenio, nobiliorque manu,
Ferrea cui merito, donum regale, ſupellex (*)
  Tradita, Gallorum mirum opus Artificum,
Ut belle quibus igne malis ferroque medendum
  Exemplo doceas ipſe probeſque tuo,

Te,

(*) *Inſtrumenta chirurgica a Ludovico XV. Galliarum Rege ad Benedictum XIV. Pont. Max. dono miſſa, qui eorumdem explicationi, atque uſui Molinellum præfecit.*

Te, precor, auguriis præbe, Molinelle, ſecundis
  Lætitiæ ſocium, participemque meæ.
Mens mihi fervet ovans, & molli carmina pleƈtro,
  Ceu de fonte levis proſilit unda, fluunt.
Vivit enim, noſtriſque diu Spes maxima votis
  Vivet in auguſti numine Pontificis.
Scilicet Ille, imos dum ſubſidebat ad artus
  Humor iners, vita conſtitit incolumi.
Quis memoret quantos generoſo e ſemine fruƈtus
  Edidit eximius Religionis amor?
Unum, quo Regis virtus, & doƈta refulget
  Pontificis pietas, Gallia narret opus.
Non domuit lætam juvenili flore ſeneƈtam
  Nobile, ſed gemini grande onus imperii.
Nullæ animum curæ, nulli fregere labores
  Summis elatum viribus ingenium,
Cujus in æternis late ſapientia chartis
  Panditur, & nitido regnat in eloquio,
Gregorii ut magni ætati, magnique Leonis
  Hanc non immerito dixeris eſſe parem.
At poſtquam regredi, ſanƈtumque invadere peƈtus
  Auſus, & inſuetas humor inire vias;
Protinus, heu ſuperi! fera tuſſis, anhelitus, angor,
  Raraque languentum copia ſpirituum.
Pulſus inæqualis, latitans, potuſque cibique
  Tædia, difficilis turba breviſque quies.
Veſſicæ labor atque dolor, convulſaque membra,
  Uſtaque lethali viſcera, & oſſa febri.
Tum vero ancipites ferri undique & undique voces,
  Quas timor augebat, vel minuebat amor.
Vidi ego pallentes vultus, ſuſpiria, fletus,
  Dum fuit anguſto res male tuta loco.
Thura faceſque ardent, ac prona altaria circum
  Turba Sacerdotum ſtat, Procerumque manus.
Et Sacer inſigni præſtans pietate Senatus
  Effundit meritas corde tremente preces.

Jam-

Digitized by Google

Jamque atrox meditata neſas, lacrymiſque moveri
  Neſcia, & ore minax improba mors aderat.
Sed vivit, noſtriſque diu Spes maxima votis
  Vivet in auguſti numine Pontificis.
Nam ſapiens vigili Laurentius affuit arte,
  Credita cui tanti chara ſalus capitis;
Quem tibi præ medicæ communi fœdere laudis
  Antiquæ jungit fœdus amicitiæ,
Principibuſque viris media commendat in aula
  Ingenii, ac morum candida ſimplicitas.
Affuit inſomnes per mœſta ſilentia noctes
  Incertoſque trahens, ſollicitoſque dies.
Nunc ſecat, & reſecat maturo vulnere venam,
  Ut ſpatio ſanguis liberiore fluat.
Nunc acres lenire ſales, lymphamque tenacem
  Aggreditur blandis attenuare modis,
Vel clauſos reſerans aditus detrudere ad ima
  Altis eductam molliter e latebris.
Et nunc ora ſiti, nunc æſtu febris anhelo
  Obruta mirando cortice membra levat.
Per dubias jactata vices felicia tandem
  Conſiſtunt certis omnia conſiliis.
Impigra ſedulitas, ſtudium, prudentia, & æquus
  Rebus in ambiguis ordo magiſterii,
Quem facilis conſtanſque ægri patientia juvit,
  Vivida vis animi, firmaque temperies,
Pastorem atque Patrem, quo non operoſior alter,
  Non fuit in terris alter amabilior,
Orbi reſtituit trepido, Patriæque dolenti,
  Præſidiumque bonis Artibus, atque decus.
Quidni etiam optatæ pretioſa retexere vitæ
  Fila licet, fauſtos & revocare dies?
Ah, precor, Ars videat tantum ſi pharmaca poſſint.
  Hic erit, hic veſtræ maximus Artis honos.

AD

Digitized by Google

AD EMINENTISSIMUM PRINCIPEM

HIERONYMUM

CARDINALEM COLUMNAM

EPIGRAMMA

BERSINDI EPHESTIONENSIS.

NOmine qui proprio, qui nomine clarus avito,
 Et titulis ſplendes Magne COLUMNA tuis,

Cum tua vix poſſet virtus augerier, unam
 Quâ magis eniteas, invenis ipſe viam.

Nuper enim dum Roma ſuum jam mœſta Parentem
 Plorabat; nec ſpes ulla ſalutis erat.

Omnibus ipſe modis, omni ſolertiùs arte,
 Conatus retinere es fugientem animam.

Inſomnes noctes duxiſti ſæpe, dieſque,
 Nulla quies animo, corpore nulla quies.

Convaluit Princeps; omnis dolor exulat, & te
 Lumen Roma ſuum, præſidiumque vocat.

Digitized by Google

ODE

TASSILDI PEGÆI.

ET quis lætitiæ ſit pudor, aut modus,
Si deſideriis, atque fidelibus
Votis redonatur Quirinæ
Sollicitæ, BENEDICTUS, Urbis?
Audivit lacrimas, atque preces Deus,
Inſtanti pietas multa tulit moram
Morti, ac ſalutari fugavit
Arte febrim, & maciem nocentem.
Jam Romæ incolumis redditus es Pater,
Sancto Concilio redditus, & Gregi,
Qui te vocat plauſu frequenti
Grande decus, columenque rerum.
Inſtar Veris enim vultus ubi tuus
Adfulſit Populo, gratior it dies,
Lateque ſalvo te renident
Lumine candidiore Soles.
Majus te nihilum, vel melius Deus
Donavit miſeris Gentibus, aut dabit
Fecunda culpis noſtra priſcum
Tempora ſi redeant in aurum.
Formatus ſtudiis aſperioribus
Semper conſilium das placidum, & dato
Gaudes tibi eſt rebus ſecundis
Ingenium dubiiſque rectum.
Interdicta ſacris, omnia perpeti
Audax, Gens fera non ante domabilis
Ponit ſuperbæ mentis iram
Teque cupit docilis Magiſtrum.

Ni-

Digitized by Google

Nilus qui propriam celat originem,
Ganges te rapidus, te Tanais rigens,
Te beluoſus qui remotos
Alluit Oceanus Sinenſes;
Qui ignotas Atavis incolit Inſulas,
Et campos Lybiæ barbarus aridæ,
Facundia ſancta potentem
Compoſitis animis verentur.
Quantum tu eloquiis, & ſapientia
Quantum conſiliis tu valeas bonis
Senſere Gallorum tumultus
Auſpiciis domiti ſecundis:
Et nunc qui Rhodanum, & Sequanicas aquas
Potant, te meritis tollere honoribus
Certant, nec æqua Edicta rumpunt
Colle ſacro data Vaticano.
Tu imponis domitæ frena licentiæ
Per te Simplicitas imperat, & Fides,
Quæ candido velata panno
Ingenuo comes it pudori.
Tu Muſiſque favens, artibus & bonis
Per quas Grajugenum nomen, & Atticæ
Porrecta laudis fama ab ortu
Solis ad Heſperium cubile.
Quid tantum miſeris invideant bonum
Terris Cœlicolæ, Tuque quid addere
Stellis honores, & quietis
Ordinibus properas Piorum?
Quod ferus cupias viſere lucidas
Sedes, Alme Pater, dicimus integro
Nos mane, nos Phœbus ſolutos
Cum lavit Oceano capillos.
Longas oh utinam te Duce, ferias
Præſtes ſupplicibus gentibus, atque ames
Tutela præſens hic vocari
Chriſtiadum, Dominæque Romæ.

EPIGRAMMA
NEVILLI ARACYNTHII.

COrpore deficiens, o LAMBERTINE, paventes
Quantùm affeciſti mœſtitiâ Populos:

Incolumem reddant cum te modo Numina, tantùm
Afficis, o Princeps maxime, lætitiâ.

CAR-

Digitized by Google

CARMEN
NUMENII ANIGRÆI.

VIcimus: ætherei non fruſtra limen Olympi
Pulſavere preces, & fervida vota Quiritûm,
Nec fruſtra ardentes lacrymarum effudimus imbres.
Plorantes Cælo tandem reſpexit ab alto
Omnipotens, faciliſque vicem miſeratus iniquam
Noſtra pater votis Divûm ſuſpiria longa
Prætulit, & luctus in gaudia vertit amaros.
Vivit io, meliorque viget, quo ſoſpite Roma
Stat felix uno, & totum Regina per Orbem
Uſque magis, mage culta, viget, ſanctumque tuetur
Imperium, & triplicis jura inconcuſſa thiaræ.
Jamdudum ut ſummam Cæli conſcenderet arcem
Lambertiniades Divûm genus, inque paratam
Pro meritis ſedem ſupremo in vertice Olympi
Efferret ſeſe, atque novum decus adderet aſtris,
Certatim votis poſcebant, & prece multa
Cælicolæ comitis ſuccenſi & amore futuri
Urgebant magnum concordi voce Tonantem.
Namque quid obſcura fuſcæ in caligine Terræ
Tam longum Cælo tantus procul exulet heros,
Tamque diu, æternæ quæ debita præmia laudi,
Grandibus & meritis, & mille ingentibus auſis,
Differat? Octoni decies tenuere merentem
Aethercam magnis ſedem virtutibus anni:
Idem jam ternis Latii moderatus habenas
Imperii luſtris, rexit felicibus Urbem
Auſpiciis dominam, ſubjectis providus oris
Conſuluit, totum divinis legibus Orbem
Imbuit, atque novis cumulavit honoribus aras.
Annuerat votis Divûm pater, atque hominum Rex:

Digitized by Google

Sequanicas verùm ante jubet componere turbas,
Francigenumque animos patrum conjungere, & aris
Jura ſua, & ſacris ſervare illæſa miniſtris.
Hæc ubi jam confecta fient, diſſolvere ſancti
Membra ſenis Lacheſim, & reſcindere ſtamina Parcas
Permittit, Cælo quo ſe mens efferat alto
Purior, & meritos agitet ſuper aſtra triumphos.
Ergo opus inceptum poſt longos mille labores
Vidimus abſolvi: Latii reſponſa Parentis
Excepere patres, curant qui Gallica ſacra,
Unanimes: ipſum Regalis ſequana Regem
Concilio Regni in magno ſacra jura tuentem,
Et lites nuper dirimentem vidit acerbas.
Qua ſe, proh Superi, qua majeſtate ferebat
Regali in clamyde, ac denſato milite circum,
Et procerum ſeptus turmis! Sublimis in alto
Sceptra tenens ſolio quantam vim legibus Heros
Adjecit ſacris, templiſque, aræque miniſtris.
Plaudebant Superi, tantoque elata triumpho
Relligio feſtis pulſabat vocibus aſtra.
At nobis quos illa eadem triſtiſſima luctus,
Illa tulit memoranda dies, quos pectore ab imo
Singultus, lacrymaſque oculis eduxit obortas!
Jamdudum cari languebant membra Parentis
Ardenti concuſſa febri, intenſoque dolore,
Pectoraque, atque ægros quatiebat anhelitus artus.
Nequidquam medicas trepidi tentavimus artes,
Nequidquam Divos in vota vocavimus: ardet
Flamma vorax, ſemperque magis languentia membra
Urit, & extremi jam temporis imminet hora.
Sequanica Regni proceres Lodoicus in urbe
Dum ciet, urbe patres Latia Benedictus eodem
Tempore purpureos cogit moriturus, & ægra
Voce tremens meritas grates agit: ac Divinâ
Se dape ad immenſam, quæ ducit in ardua Cæli
Aſtra viam de more parat: jamque omnia vultu

De-

Digitized by Google

Deſpectans terrena hilari, cæleſtia tantùm
Mente agitat, Superûmque choros, æternaque regna.
  Quæ tibi mens tum, Roma, fuit, qui pectore ſenſus,
Cum ſpes nulla foret cari retinere Parentis
Dulce caput, jam jamque inſtarent ultima fata!
Corripuit primum mentes ſtupor: inde per ora
Effuſæ undantes lacrymæ, ſuſpiria ab imo
Aſſurgunt corde, & ſingultus ilia pulſant.
Per Divûm ſacras paſſim diſpergimur ædes,
Ardentique magis Superos in vota vocamus
Uſque prece, & multo gemitu confundimus auras.
Quin etiam, quo nil terris, nil ſanctius Axe
Aethereo eſt uſquam, Divinum educimus orbem,
Orbem, triticeæ tenui velamine formæ
Quo tectus latet ipſe Deus, ſolioque locamus
Propoſitum ſpectantum oculis, votiſque petendum,
Congerimuſque faces, & pinguia thura cremamus.
  Hæc ſemel, hæc iterum, atq; iterum renovamus, & aris
Sole novo toties affundimur, hæremuſque,
Dum pietas magnum tandem obfirmata Tonantem
Pervicit, flexitque animum, & nutantia corda;
Ac Divûm deſideriis mortalia vota
Præſtiterunt, raptumque ſibi eripuere parentem.
  Jure quidem: æternos illo Cæleſtis in annos
Si poterit Superis plaudentibus aula potiri;
Cur non & longum nobiſcum tranſigat ævum,
Serus & æthereum tandem conſcendat Olympum!
Annuit Omnipotens: hic longum tranſiget ævum
Et longo ſerus poſt tempore ſydera ſcandet.
Extremo victus ſenio meliore triumpho,
Cumque novis ſcandet palmis poſt grandia mille
Geſta nova, & virtutum exempla, novoſque labores.
  Interea procul acta fugit Libitina recondens
Fulmineam falcem: ducunt nova ſtamina Parcæ,
Languentique novæ ſurgunt in corpore vires.
Vicimus: o! imo conceptos pectore ſenſus,

Digitized by Google

Et concluſa ſinu depromite gaudia, cives.
Nunc feſtos agitare dies, nunc pinguia thura
Urere fas, denſiſque onerare altaria donis.
Audior: en magnam longe, lateque per Urbem
Mille ſonant feſti cantus, centum aurea templa
Ditibus effulgent ſtratis, fumantia late
Aera tonant, cæræque aris fulgentibus ardent.
Vidi ego tot puerumque choros, juvenumque catervas
Ante aram ardentem tanto pro munere grates
Vocibus ingenuis Patri perſolvere Divûm,
Obruere & pulſas alternis cantibus auras.
Vivis, io! longos felix ah! vive per annos,
Magne parens, Urbis Latiæ decus, & decus Orbis:
Vive, precor, terraſque omnes circumſpice, & Urbem
In primis dominam, quoſque alluit æquor utrumque,
Reſpice felices populos: te ſoſpite ſoſpes
Relligio, & ſolâ quæ Relligione vigente
Roma vigere poteſt, te ſoſpite læta vigebit,
Ac rediviva tuis fluet aurea gentibus ætas.

CAR-

Digitized by Google

CARMEN
ALCETÆ ESENI.

NOn prius auditum romana per oppida carmen
Fundere ſuadet amor,grato qui in pectore fervet,
Stare loco neſcit, cupiduſque in luminis auras
Educi, ſibi forte aliquid jam poſſe videtur,
Et votis ultro ſeſe communibus addit.
Scilicet in magno populique, urbiſque tumultu,
Publica dum late clamans ſe tollit ad axem
Lætitia, & ſævi poſt lapſa pericula morbi
Paſtori ipſa ſuo tandem, Patrique recepto
Gratatur plauſu ingenti, & delubra per Urbem
Fronde tegit feſta, cumulatque altaria donis,
Turpe nimis tacuiſſe foret. Juvat alta referre
Quæ mala terruerant animos, quæ quiſque ſagaci
Proſpiciens longe obtutu diverſa dolebat,
Et quibus, ægrotante Illo, ſtirps fida Quirini
Manavit lacrimis; ceu tempeſtatibus actus
Navita, ſi Glauco, aut Inoo Melicertæ
Jam vota in ſicco ſolvit, tetigitque penates
Antiquos, maris emenſi infortunia gaudet
Dicere, quæ vada, quas ſyrtes, quos ſedulus olim
Vitarit ſcopulos vento pulſatus, & imbri:
Namque voluptatis pars eſt non parva labores
Exactos quondam meminiſſe, & pingere verbis.
Interea volitans tulerat jam fama per urbes
Auſonias, effœtum annis, ſubitoque jacere
Correptum morbo, atque ipſo in diſcrimine vitæ
Paſtorem Egregium, cui crines Infula princeps
Æternis cingit vittis, cuique aſtra dedere
Et populos regere imperio, & qua Phœbus utrumque
Aſpicit Oceanum, doctrinis paſcere certis.
Ergo omnes delubra adeunt, caramque per aras

Ex-

Exquirunt late donis, precibuſque ſalutem.
Purpurei ante alios viſi longo ordine Patres
Sacris ſe ſe aditis inferre, & lecta viritim pars,
Queis humeros violæ pingit color, inde ſeveri
Adglomerant proceres, omniſque effuſa propago
Romulidum; circum pueri, innuptæque puellæ,
Et Matres, teneri preſſant, quibus ubera nati,
Demiſſis inhiant animis, & ſidera votis,
Leniri ſperant dulci pro Patre, ſuiſque
Optarent annis Illi renovarier annos.
Urbis ad exemplum dominæ, vix nuntia acerbo
Fama ruit ſonitu, pavor ingens occupat omne
Finitimum extemplo Latium, campoſque Sabinos;
Quo cuncti concuſſi animi ſupera aſtra precari
Vota ſecundarent populorum, omenque levarent.
Nec non declivi qua tollitur Apennino
Umbria, Picenaſque urbes, atque Oppida centum
Litus ad Hadriacum ſimilis tenet anxia cura.
Nec mea ſupplicibus ſignis, votiſque pepercit
Æmilia, inſigni quando recreata favore eſt
Magnanimi Patris, qui optata, & libera dudum
Olli cunctarum indulſit commercia frugum.
Nec vero imprudens ſileam te, Felſina, magnis
Clara opibus, doctiſque viris, ſed clarior Uno,
Quem primum ipſa tuo ſurgentem in luminis oras
Excepſti gremio, Tiberique, Orbique dediſti
Proh nimium felix; nec te, quam proximus altis
Aggeribus labens furibunda & ſæpe tumenti
Fluviorum rex Eridanus diverberat unda.
Ac dum Panchæis adoleſcunt ignibus aræ,
Aſcenduntque polum, denſo velut agmine facto,
Tot circum lacrimæ, tot fervida vota precantum,
Ecce rotis ſummas levibus perlabitur auras
Relligio; non mitræ, non fluitantis amictus
Illa vicem curans, ſed toto pectore triſtis,
Turgiduloſque oculos demittens, limina pulchra

Stel-

Digitized by Google

Stellarum ingreditur, ſoliumque ante aſtitit altum
Omnipotentis, & hæc trepido ſic ore profatur.
O Pater, o cæli terræque æterna poteſtas
(Spes mea quandoquidem, quanta eſt, te nititur uno)
Cernis ut in mæſto projectus membra cubili,
Evictus morbo jaceat fortiſſimus ille
Chriſtiadum Paſtor, qui te virtute ſuprema
Te referens pandit ſacrarum oracula legum,
Quem penes arbitrium ſolvendi eſt, atque ligandi,
Quique tui laxat theſauri clauſtra, pioſque
Educit manes Erebo, & cæleſtibus infert?
Hei mihi, longævos febrilis anhelitus artus,
Aridaque ora quatit; ventre & demiſſus in imo
Humor iners pejora parat, jamjamque minatur
Aurea tam meritæ diſrumpere fila ſenectæ:
Si mea quid pietas, lacrimæque per ora volutæ
Implorare valent, prohibe, Rex maxime, caſum
Infandum, ſervaque pium. Neque enim reor Illum
Haud equidem reor humano Illum in corpore poſſe
Reddi immortalem (quamquam o) ſed tempore tali
Et queror, & doleo communi deeſſe ſaluti.
Aſpice quæ rerum facies, quæ dira repente
Incubuit regnis magno diſcordia motu;
Quantaque Saxonicos ſævis effuſa Boruſſis
Tempeſtas ierit per campos. Horrida bella
Auſtriacas acuent iras, quibus addere robur
Præſtantes armis Galli, atque ex orbe remoto
Accelerant Moſchi; jam Sprevum, atq; Albin, & Ægram,
Et Rhenum multo ſpumantes ſanguine cerno.
Si libeat cauſſas penitus tentare latentes,
Forſitan hoc fremitu, atque ipſis certabitur armis
Relligio. Quid erit miſeræ mihi denique tanto
Si tunc auxilio caream? qui fortior Illo,
Cui dedit eloquii dulces Sapientia vires,
Semina ſubiiciet pacis? quis jura meorum,
Et decus, & nomen tutetur? plura volentem

Di-

Dicere ſic placido ore affatur cælicolum Rex.
Parce metu, dilecta, ſtat immutabile quidquid
Inde jam ab æternis pro te decrevimus annis.
Tartareæ non ulla tibi, vel fraude, vel armis
Damna ferent Portæ. Vivet, quem vivere poſcis,
Ut capias pulchros quocumque ex hoſte triumphos.
Tu ne cede malis, ſed contra tutior ito.
Dixit, & obtutu luſtrans cælum omne ſereno
Unum ad ſe ſe ex Aligeris vocat; ille juventæ
Flore genas oculoſque nitens diffundere ventis
Ambroſios dederat crines, ſuraſque cothurno
Purpureo vinctus niveo fulgebat amictu;
Qualis erat quondam ætheria cum miſſus ab arce
Hæbrei cuſtos pueri, perrexit ad oras
Medorum, & comiti ſponſam, cæcoque parenti
Jucundum cæli potuit quoque reddere lumen.
Ergo illi ſuperum atque hominum Sator: ocyus alis
Labere nunc rapidis, qua celſum maxima tollit
Roma caput, doctumque Senem, cui credita cari eſt
Vita Patris, vigilique hærent in corde timores,
Alloquere; ignotæ quidquid medicaminis herbæ,
Quid mare, quid ferat arcana inter viſcera tellus
Haud te namque latet. Mens eſt ſuccurrere dono
Præſenti, optatamque orbi reparare ſalutem.
Vix ea; cum ſubito volat ille per aera magnum
Non aliter quam, ſi diſruptis nubibus ignes
Solis ab occaſu micuere, it fulgor ad ortum
Protinus, ante pavens quam claudat lumina vulgus.
Jamque Quirinalis citus Aliger atria molis
Attigerat, dum ſegni umbra terramque, polumque
Nox atra involvens feſſos ſomno irrigat artus.
At non Felſineus Senior, cui pectore talis
Cura ſedet, medicaſque vias tentaverat omnes
Succeſſu modico, ipſe ullam per membra quietem
Carpebat. Mediæ per amica ſilentia noctis
Lumen ad exiguum labor eſt evolvere quotquot

Pro-

Digitized by Google

Pæoniis umquam mandarunt dogmata chartis;
Et meditanti animo nunc huc nunc fluctuat illuc,
Spemque metumque inter premit altum corde dolorem.
Talia volventi ſecum, tacite aſtitit almus
Aliger, & dulci compellans voce: quid ultra
Quid te animi excrucias? ſi nil opis, inquit ab arte eſt
Sperandum veſtra, a Superis ſperare juvabit.
Nuntia læta ferens tibi nunc demittor ab aſtris
Æthereis, ubi vota ſimul, gemituſque precantum
Inſonuere diu, & cælum pietate replerunt.
Romuleo (confide) Patri donabitur ægro,
Quod petis, auxilium; mens eſt ſuccurrere dono
Præſenti, optatamque orbi reparare ſalutem.
Perge modo, &, medicum quidquid tibi ſufficit acre
Ingenium, hoc adhibe ſolers; namque aere ſeptus
Obſcuro, & multo nebulæ velatus amictu
Ipſe adero lateri hærens, & tua pharmaca vires
Accipient, me dante atque immiſcente ſecundas.
His dictis animum incenſus qua ſede ſedebat
Excutitur ſenior; veluti cum languida preſſit
Nocte quies oculos, ſi quis tellure repoſtum
Invenit in ſomnis argenti pondus, & auri,
Geſtit ſorte ſua trepidans, ruptaque quiete
It memor, & greſſu celeri loca nota reviſit.
Haud minus exultans Heros Epidaurius ibat
Viſere languentem, laticeſque adferre ſalubres.
Dicite, Pierides, quis tum fuit exitus, & quæ,
Seminibus morbi tandem de corpore pulſis,
Vota inter populorum, & mundi gaudia, venit
Expectata ſalus. Tuque, o Sanctiſſime Paſtor,
Aurea cui texent tranquillæ fila ſenectæ
Jam Parcæ meliores, ſi ſinet ardua magni
Imperii moles, humilis ne temne Camenæ
Qualeſcumque ſonos. Annis labentibus æſtas
Tertia jam flavis campos viduavit ariſtis,
Ex quo me viridi præcinctum tempora lauro,

Ge-

Digitized by Google

Geſtantemque neo ingratum nec inutile forſan
Aoniæ pondus cytharæ, me celſa Quirini
Mœnia conſpexere, tuis, Pater alme, trementem
Advolvi pedibus; quin o quin fauſta redire
Tempora mî ſperem? poterone ego ſacra tueri
Ora iterum, atque iterum dare ſanctis oſcula plantis?
Certe equidem potero, ni ſpes me credula fallit.
Multa ſed interea officii tormenta paterni
Hic me devinctum retinent, & frangere parcum
Bis ſeptem pueris cogor (res improba) panem.

EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMA

DORALBI TRIASII.

NOs dedimus lacrymas votiſque implevimus aras,
Ut morbo poſſet viſere Te incolumem,

Morbo, quo tota ingemuit concuſſa timore,
Italia, atque ipſa heu ſquallida Relligio.

Nunc de Te grates plauſuſque effundimus omnes,
Nunc de Te Superis thura preceſque damus,

Altera qui condes nobis felicia ſecla;
Jam non iratum novimus eſſe Deum.

FINIS.

Ar-

Digitized by Google

Arcadicorum Nominum Interpretatio.

Acamas. Joſeph Brogius Arcadiæ Procuſtos.
Alcetas. Camillus Comes Zampierius.
Anuldus. Jacobus Cemmius.
Archæus. Sebaſtianus Maria Correa Sign. Juſt. Vot.
Areta. Benedictus Stay in Rom. Archig. Eloqu. Prof.
Berſindus. Dominicus Ant. Nardinius.
Brennalius. Jo. Franciſcus Baldini Cong. de Somaſca Exgen. Cong. Rit. Conſ.
Daſmon. Ignatius Cianci a Cruce Auguſt. Excalc. Colon. Alethinæ Vicecuſtos.
Doralbus. Ph. M. Pirelli Sac.Conſiſt.Adv. & Sign.Aud.
Euridaleus. Cajetanus Golt.
Glaucildus. Joſeph de Lugo Cong. de Somaſcha in Colleg. Clementino Eloqu. Profeſſor.
Gorgias. Philippus Bonamicus à Secretis Brevium ad Principes Subſtit.
Iſelius. Urbanus Toſetti Schol. Piar. in Collegio Nazareno Philoſ. Profeſſor.
Locreſius. Flaminius Scarſellius Bonon. Senatus Romæ à Secretis, & in Patria Eloqu. Profeſs.
Loriſius. Felix Maria Lavioſa Cong. de Somaſcha.
Myræus. Michael Joſeph Morei Arcadiæ Cuſtos.
Mirtius. Dominicus Levera.
Nevillus. Mutius Scævola.
Numenius. Rogerius Joſeph Boſchovich Soc. Jeſu in Colleg. Romano Mathemat. Prof.
Phillirius. Camillus Bovone Cong.de Somaſcha in Coll. Clement. Human. Litt. Profeſs.
Perelaus. Raymundus Cunich in Rom. Soc. Jeſu Tyroc. Eloq. Profeſſ.
Rambildus. Hieronymus Lombardus Soc. Jeſu.
Riviſcus. Antonius Gaſparri.
Tuſſilius. Jo. Baptiſta Zanobettius Arcadum agri Florentini Pro-Cuſt.
Viminius. Jacobus Zaghetti.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google